

finitum, sed standum in intellectu, sicut in primo. Omnem enim voluntatis motum necesse est, quod praecedat apprehensio; sed non omnem apprehensionem praecedit motus voluntatis » (1).

Ad aliam vero difficultatem exinde ductam, quod movens sit nobilior moto, ideoque voluntas movere nequeat intellectum, cum sit ipso inferior, respondemus in medium afferendo varios rerum delectus et terminationes, et conferendo simul utriusque facultatis perfectionem et dignitatem. Nam, uti eleganter et profunde disserit S. Thomas, intellectus considerari potest, vel ut est cognoscitivus entis et veri universalis, vel ut est quaedam res et particularis potentia habens determinatum actum. Pari modo voluntas spectari potest, vel ut est appetitiva boni communis, vel ut est determinata quaedam facultas habens determinatum actum. Tam vero, posthabitis aliis comparationibus, si voluntas spectatur secundum communem rationem sui obiecti, quod est bonum, intellectus ex adverso secundum quod est quaedam res et peculiaris potentia, tunc sub communi ratione boni continetur, ut quoddam bonum speciale, tum intellectus ipse, tum ipsum intelligere, tum eius obiectum, quod est verum. Secundum hunc respectum voluntas est nobilior altiorque intellectu, et consequenter potest ipsum movere. Hinc elucet, cur huiusmodi potentiae suis actibus mutuo se includant: nam intellectus intelligit, voluntatem velle; et voluntas vult, intellectum intelligere. Sic bonum continetur sub vero in quantum est intellectum; et verum continetur sub bono, in quantum est desideratum (2).

### ARTICULUS III.

DE ACTIBUS LIBERIS VOLUNTATIS, SEU DE LIBERO HOMINIS ARBITRIO.

**CONTINUATIO RERUM.** Doctrina a nobis in superiori articulo enucleatius tradita de necessario motu voluntatis erga bonum perfectum, quod habet rationem finis, cuius adeptio hominis beatitudinem constituit, expeditam paravit viam ad aliam magni momenti quaestionem ingrediendam. Argendum quippe nobis est de motibus liberis et contingentibus voluntatis erga bona particularia et imperfecta, quae non habent rationem extremi et finis, sed dumtaxat mediorum ad finem, ideoque expetuntur per ordinem ad finem, propterea quod apprehenduntur ut ducentia ad finem seu ad beatitudinem. Quam

(1) I p. q. 82, a. 4 ad 3.

(2) Cf. S. THOM. loc. cit. ad 1; QQ. DD. De ver. q. 22, a. 12; praesertim QQ. DD. De malo, q. 6, a. unico.

ad rem agitanda nobis occurrit quaestio de libertate humanae voluntatis, seu de libero hominis arbitrio, et inquirendum: 1) utrum humana voluntas aliquid velit et appetat non necessario, sed libere, vel aliis verbis, an in voluntate existat libertas arbitrii; 2) quaenam sit proxima causa et ratio huiusmodi appetitionum, quae libere nominantur, et ad quaenam bona prosequenda se porrigant.

Quaestio itaque in duas tribuitur partes, quarum prima statuit, in voluntate humana existere actus liberos, seu hominem in iis appetendis, quae referuntur ad ultimum finem, pollere libero arbitrio; altera disserit de natura et causis istius perfectionis, quae in appetitu rationali dumtaxat reperitur. Prima quaestionis pars tam aperta est, et omnibus perspicue et per se cognita, ut serio in dubium revocari minime possit, cum quisque sibi conscius sit, se quaedam libere prorsus velle, ita ut si quis contra dicere velit, non audeat. Quare minime opus est exquisitis rationibus ad confirmandum id quod per se notum est et ab omnibus sentitur: tantum satis est uti mediocri animadversione seu admonitione, ut res prompta et illustris iudicetur. Secunda ex adverso quaestionis pars difficiles admodum habet explicatus, cum sit maxime occulta et involuta, ideoque ad argumenta subtillesque conclusiones rationis recurrendum est, ut eius causae rite determinentur, eiusque natura et propriae passionis et assignentur accurate, et ab adversariorum fallaciis et captionibus vindicentur.

Ut ergo ordine ac via procedamus in hac quaestione, quae latius serpit utpote fundamentum universae moralis philosophiae, et simul semitam omnem praeccludamus adversariis veram electionis optionem, arbitriique libertatem subvertere conantibus, duo a nobis praestanda erunt; videlicet tum ostendendum, in nostra voluntate esse liberas appetitiones et actus, tum assignandae rationes quamobrem res ita habeat. Cum autem ad omne de quo disceptatur adhibenda sit definitio, ut possint facilius dissolvi captiosae, et distingui ambigua, antequam propositionem demonstrandam statuamus, nonnulli conceptus veniunt declarandi, partitionesque in medium afferendae.

**Definitio libertatis inquiritur.** Si prima nominis significatio spectatur, libertas denotat immunitatem a servitute; hinc liberi nuncupantur homines, qui servituti non sunt obnoxii. Sed hoc vocabulum translatum est ad significandam libertatem humanae voluntatis, quae est immunitas a necessitate in appetendo seu volendo, ita ut, cum voluntas aliquid appetat, integrum ei sit illud non appetere; et huiusmodi immunitas a necessitate dicitur etiam *indifferentia*.

**Duplex indifferentia.** Cum indifferens seu contingens illud dicitur, quod non est determinatum ad unum, indifferentia potest esse duplex; altera *passiva*, et denotat potentiam recipiendi determinationem ab alio; altera *activa*, et est vis, quae aliquid ens pollet determinandi seipsum, seu exeundi ex indifferentia, et ponendi operatio-

nem. Prima denotat imperfectionem; secunda significat nobilitatem et perfectionem; prima invenitur in appetitu sensitivo; secunda solum in appetitu rationali sedem habet; prima pertinet ad res materiales; secunda participatur a spiritibus plus minusve perfecte, secundum quod sunt magis minusve a materia seiuncti, et propius remotiusque accedunt ad perfectionem *Primi Activi*, nempe Dei gloriosi.

**Indifferentia activa.** Indeterminatio voluntatis, quae denotat dominium in propriis actus, et appellatur indifferentia activa, triplex est. Nam 1) homo potest velle aut non velle, et haec dicitur libertas *exercitii*; quia potest exercere, vel non exercere actum appetendi. Dicitur etiam libertas *contradictionis*; nam velle et non velle, amare et non amare sunt termini contradictorii. 2) Potest velle hoc vel illud obiectum, et haec dicitur libertas *specificationis*; nam actus ab obiecto speciem mutat. Dicitur etiam libertas *contrarietatis*; quia obiecta quae appetuntur, possunt etiam esse contraria, uti velle hoc vel eius oppositum. 3) Potest velle recte vel perperam et prave; nam id quod appetitur, potest esse ordinatum ad debitum finem, vel secus.

Tergeminam hanc libertatis partitionem sic declarat S. Thomas: « Cum voluntas dicatur libera in quantum necessitatem non habet; libertas voluntatis in tribus consideratur; scilicet quantum ad actum, in quantum potest velle vel non velle; et quantum ad obiectum, in quantum potest velle hoc vel illud et eius oppositum; et quantum ad ordinem finis, in quantum potest velle bonum vel malum. Sed quantum ad primum horum inest libertas voluntati in quolibet statu naturae respectu cuiuslibet obiecti (*etiam ultimi finis*). Secundum vero horum est respectu quorundam obiectorum, scilicet eorum quae sunt ad finem, et non ipsius finis: et etiam secundum quemlibet statum naturae. Tertium vero non est respectu omnium obiectorum, sed quorundam eorum, scilicet quae sunt ad finem; nec respectu cuiuslibet status naturae, sed illius tantum in quo natura deficere potest. Nam ubi non est defectus in apprehendendo, et conferendo, non potest esse voluntas mali in his, quae sunt ad finem, sicut patet in beatis. Et pro tanto dicitur, quod velle malum nec est libertas, nec pars libertatis, quamvis sit quoddam *libertatis signum* » (1).

**Libertas definitur.** Ex superius declaratis libertas arbitrii potest rite defini: *Indeterminatio seu indifferentia activa, qua, positus omnibus ad agendum praerequisitis, voluntas possit agere vel non agere.* Dicitur *indifferentia activa*; cum evidens sit, passivam indifferentiam, quae est etiam in appetitu sensitivo, non sufficere ad libertatem salvandam. Dicitur *positus praerequisitis*, nam indifferentia activa in *sensu diviso* praerequisitorum invenitur etiam in aliis facultatibus vitalibus, quae necessario agunt, et in ipso actu voluntatis finem appetentis. Dicitur

(1) QQ. DD. De ver. q. 22, a. 6.

*possit agere vel non agere*, id est eligere, quia per hoc exprimitur dominium voluntatis in proprium actum, quod omnes intelligunt esse de essentia libertatis. Unde S. Thomas ait: « Proprium liberi arbitrii est electio. Ex hoc enim liberi arbitrii esse dicimur, quod possumus anum recipere, alio recusato, quod est eligere » (1). Demum in definitione fit solum mentio libertatis contradictionis seu exercitii, cum libertas specificationis et libertas contrarietatis non sint nisi variae applicationes primae.

## PROPOSITIO.

*In voluntate humana datur vera libertas arbitrii, cuius radix repouenda est in ratione apprehendente bonum in generali; ideoque voluntas humana non movetur ex necessitate ad aliquid eligendum (2).*

**Prob. prop. Arg. 1.<sup>um</sup>** Cum existentia liberi arbitrii in nostra voluntate sit res luculentissima, quae ab omnibus sentitur hominibus, qui non possunt non experiri, se ita velle quasdam res, ut possent eas non velle, vel etiam velle oppositum, proposita veritas non potest per clariora stricte demonstrari, sed solum per diversa signa vel indicia exponi, quae non patefaciunt rem ignotam, sed potius considerationem intellectus excitant, ut in rem apertam aciem intendant. Iam vero, ut huiusmodi admonitiones seu animadversiones sub uno veluti conspectu ponamus, quisque evidenter vivideque sentit, se saepissime deliberare et consultare, et diversa motiva expendere, antequam operetur: iterum sentit, se teneri ad turpia et flagitiosa vitanda, et ad quaedam honesta patranda: iterum sentit, se poenam mereri in malefactis, et vicissim praemium in beneficiis; in primis angitur moerore, dum in secundis gaudet et laetatur: demum firmiter credit, exempla, exhortationes, consilia plurimum valere ad movendas hominum voluntates, ut unum prae alio velint. Iam vero haec omnia ne intelligi quidem possent, si homo non haberet dominium suorum actu, et semper ad volendum ferretur necessario. Ergo ipsa animi conscientia ut optimus et sane incorruptus testis manifestat clarissime, dari in nostra voluntate libertatem.

Hoc idem confirmant leges, praecepta, comminationes, poenae, et praemia, quae ad conservationem humanae societatis sunt prorsus necessaria, quaeque proclamant, homines pollere libero arbitrio ad eligendum, nam qui necessario ad agendum moventur, neque supplicis neque praemii digni habentur.

(1) I p. q. 83, a. 3.

(2) De hac re disserit S. THOM. I p. q. 82, a. 2; 1-2, q. 10, a. 2; QQ. DD. De malo, q. 6, a. unico; De ver. q. 22, a. 6, et alibi passim.

Quare sententia denegans liberum hominis arbitrium non solum falsa, sed etiam insana censenda est, quemadmodum notatum fuit a S. Thoma sic aiente: « Quidam posuerunt quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum... Haec autem opinio est haeretica; tollit enim rationem meriti et demeriti in humanis actibus... Est etiam adnumeranda inter extraneas philosophiae opiniones; quia non solum contrariatur fidei, sed subvertit omnia principia philosophiae moralis. Si enim non sit liberum aliquid in nobis; sed ex necessitate movetur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, praecipuum, et punitio, et laus, et vituperium, circa quae moralis philosophia consistit. Huiusmodi autem opiniones, quae destruunt principia alicuius partis philosophiae, dicuntur positiones extraneae, sicut nihil moveri, quod destruit principia scientiae naturalis » (1).

Arg. 2.<sup>um</sup> Haec eadem veritas probari potest ratione quadantenus *a priori*, nimirum pervestigando causam cur huiusmodi perfectio indeterminationis seu dominium in suam appetitionem invenitur in voluntate hominis; et sic ingrediemur secundam partem quaestionis. Argumentum sic effici potest. Cum voluntas humana necessario inhaereat ultimo fini seu beatitudini, tamquam bono vel obiecto perfecte explenti eius capacitatem, in tantum bona particularia ab ipsa eligi possunt ut media ad finem, in quantum bona huiusmodi connectuntur cum fine ut eius participationes, et ab homine connexa cum fine apprehenduntur. Atqui multa bona particularia non sunt necessario connexa cum fine, et ea quae sunt connexa cum fine seu beatitudine, possunt ab homine apprehendi sine huiusmodi connexione. Ergo voluntas hominis in eligendis particularibus bonis, quae sunt media ad finem seu ad beatitudinem, non movetur necessario sed libere, idest motus voluntatis remanet in potestate sui liberi arbitrii.

Aliis verbis. Voluntas hominis, utpote appetitus consequens apprehensionem intellectus cognoscentis bonum universale, necessario movetur erga bonum absolutum, in quo habetur hominis beatitudo, et ab eo necessario determinatur, cum huiusmodi bonum sit motivum complens et actuans totam potentiam mobilis. Bona vero particularia, quae sunt participationes finitae et imperfectae beatitudinis, eligit ut media ad finem. Iam vero nullum bonum particulare potest esse motivum perfecte actuans universalem appetitum voluntatis, tum si consideratur in se, quia particulare et finitum; tum si consideratur per ordinem ad finem, quia vel non necitur necessario, vel non apprehenditur in hac vita ut necessario connexum cum fine. Ergo voluntas in eligendis illis, quae sunt ad finem, non movetur necessario, sed libere se movet, utpote habens dominium sui motus (2).

(1) QQ. DD. De malo, q. 6, a. unico.

(2) Cf. S. THOM. I p. q. 82, a. 2.

Confir. 1.<sup>o</sup> et ulterius declaratur sic. Tria considerari possunt agentium genera. Quaedam operantur sine cognitione et iudicio, ut plantae et stirpes; quaedam autem operantur cum cognitione sensitiva, quae cognoscitiva est singularium, uti bruta animantia; quaedam demum, quae operantur cum cognitione intellectiva, quae percipit universalialia, uti homines. Prima quae agunt per formam naturalem, habent inclinationem determinatam ad unum. Secunda quae agunt per formam a sensu apprehensam, quae est repraesentativa singularium, habent diversas inclinationes secundum quod apprehendunt aliquid vel ut conveniens vel ut disconveniens; sed tamen quaelibet inclinatio est ad unum et determinatum actum, quia consequitur iudicium determinatum a natura. Sic ovis quaerit cibum, et fugit lupum. Tertia demum quae agunt per formam universalem ab intellectu apprehensam, gaudent inclinatione voluntatis indeterminate se habente ad plura; nam sub forma universali multa possunt comprehendi; et cum actus sint in singularibus in quibus nullum est quod aadequat potentiam universalis, inclinatio remanet indeterminata et ad plura se habens. Sicut artifex qui concipit formam domus in universali sub qua comprehenduntur diversae figurae domus, potest inclinari per suam voluntatem ad efficiendam domum rotundam vel quadratam vel alterius figurae (1).

Quare radix libertatis est ratio apprehendens bonum in universali ad quod bona particularia contingentem ordinem dicunt; ideoque homo est liberi arbitrii, quia mente et ratione pollet.

Confir. 2.<sup>o</sup> ex eo quod in quolibet particulari bono ratio possit deprehendere motivum, cur illud appetat vel aspernetur, ideoque illud libere eligit. Sic enim argumentatur Aquinas: « Homo in omnibus particularibus bonis potest considerare rationem boni alicuius et defectum alicuius boni, quod habet rationem mali, et secundum hoc potest unumquodque huiusmodi bonorum apprehendere ut eligibile vel fugibile. Solum autem perfectum bonum, quod est beatitudo, non potest ratio apprehendere sub ratione mali vel alicuius defectus, et ideo ex necessitate beatitudinem homo vult, nec potest velle non esse beatus, vel esse miser. Electio autem cum non sit de fine, sed de iis quae sunt ad finem, non est perfecti boni, quod est beatitudo, sed aliorum particularium bonorum. Et ideo homo non ex necessitate sed libere eligit » (2). Nimirum in quolibet bono finito propter limites et imperfectiones ipsi inhaerentes, intellectus, qui est cognoscitivus boni absoluti, deprehendit momenta in utramque partem, tum ut illud expectatus, tum ut aspernetur, ideoque voluntas ita ab huiusmodi bono apprehensum movetur, ut integrum ei sit quod libuerit eligere.

(1) Cf. S. THOM. QQ. DD. De malo q. 6, a. unico

(2) 1-2, q. 13, a. 6.

**Conclusio.** Ut omnia, quae a nobis in hac quaestione explanatius disputata sunt, sub uno veluti conspectu ponantur, sic contracta oratione capitulatum ea ordine subiiciemus.

1° Voluntas humana est potentia appetitiva, quae consequitur intellectum percipientem universalem rationem boni, ideoque obiectum proprium et adaequae complens capacitatem voluntatis est bonum absolutum a se excludens omnem defectum et limitem. Ab hoc bono voluntas movetur ad appetendum necessario, nam quodlibet passivum determinatur ad unum a suo proprio activo, si quando activum integram capacitatem passivi explet et actuat.

2° Bona particularia, quae sunt imperfectae participationes boni absoluti, quod est finis et beatitudo hominis, non appetuntur ab humana voluntate, nisi ut media ad finem; ideoque voluntas ad ea capessenda non fertur et movetur, nisi propter amorem finis, quo sublato, omnis motus voluntatis ad bona particularia continuo evanesceret; quemadmodum, sublatis principiis per se notis, quilibet motus rationis ad argumentationem concludendam radicatus subverteretur.

3° Omnia bona particularia sunt media, quae ad finem ordinantur contingenter sive ex rei veritate, quia ad finem per diversas semitas accedi potest, sive ob falsam intellectus apprehensionem, qui non raro perverse iudicat de rebus. Ergo voluntas in appetitione horum bonorum propter finem non determinatur ad unum, sed eius inclinatio indeterminata remanet, ideoque ea libere eligit.

4° Cum ipsum exercitium actus, quo beatitudinem et bonum absolutum appetit, sit particulare quoddam bonum, consequenter integrum est voluntati ponere vel non ponere talem actum, quia potest velle vel nolle cogitare de beatitudine; sed si de beatitudine homo cogitat, illam necessario appetit, quia nemo potest velle non esse beatus, vel esse miser. Hoc disertis verbis notatum fuit a S. Thoma qui sic loquutus est: « Homo ex necessitate appetit beatitudinem. Dico autem ex necessitate, quantum ad determinationem actus, quia non potest velle oppositum; non autem quantum ad exercitium actus, quia potest aliquis non velle tunc cogitare de beatitudine, quia etiam ipsi actus intellectus et voluntatis particulares sunt » (1).

#### SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

**Oppon. 1°** Libertas non potest esse in eo, quod movetur ab alio. Atqui voluntas humana movetur ab obiecto, nempe a bono. Ergo in voluntate humana non existit libertas.

**Resp. Dist. mai.** Libertas non est in eo, quod movetur ab alio, si motum active non concurrat ad motionem alterius, *Conc.* Si active

(1) QQ. DD. De malo, q. 6, a. unico.

concurrit, *Subdist.* Si virtus movens adaequat totam potentiam mobilis, iterum *Conc.* Si potentia mobilis superexcedit virtutem movens, *Neg. Contradist. min. et Neg. cons.*

**Explico.** Illud quod ab alio pellitur ad motum, potest considerari in duplici differentia, nempe vel 1) ut est in indifferentia passiva, et tunc si movetur ab alio, motus eius erit vel necessarius, si virtus movens vincit resistantiam mobilis, vel nullus, si virtus motiva superatur a potentia mobilis. Vel 2) ut invenitur in indifferentia activa quemadmodum diximus de voluntate humana, et tunc, posita motione obiecti, motus qui consequitur, erit necessarius, si obiectum motivum adaequat et complet totam capacitatem potentiae, quae movetur; et ex adverso erit liber et contingens, si obiectum motivum non implet capacitatem et potentiam illius quod movetur. Iam vero cum nullum bonum finitum et particulare possit adaequare potentiam voluntatis, cuius obiectum est bonum absolutum et nullis limitibus adstrictum, idest beatitudo, rite concludimus, voluntatem ad talia bona ferri omnino libere. Sic ad rem nostram S. Thomas: « Movens tunc ex necessitate causat motum in mobili, quando potestas movens excedit mobile, ita quod tota eius possibilitas moventi subdatur. Cum autem possibilitas voluntatis sit respectu boni universalis et perfecti, non subiicitur eius possibilitas toti alicui particulari bono; et ideo non ex necessitate movetur ab illo » (1).

Hic tamem sedulo notandum est, propositam difficultatem non posse rite et plene dissolvi, nisi ratio habeatur duplicis motionis, nimirum subiectivae et obiectivae, quarum una necessaria est ad exercitium actus voluntatis, altera requiritur ad determinationem et specificationem appetitionis. Haec secunda motio oritur ex obiecto, quemadmodum per se est evidentissimum. De prima vero motione circa quam tot exortae sunt concertationes, dicimus cum S. Thoma, eam dependere et causari ab ipsa voluntate, et hoc esse necessario admittendum, ut possit liberum hominis arbitrium salvari. Cum non sit huius loci quaestionem tam reconditam longius prosequi, in praesentia contenti erimus huc transferre luculenta haec S. Thomae verba: « Ad ostendendum quod voluntas non ex necessitate movetur, oportet considerare motum voluntatis, et quantum ad exercitium actus, et quantum ad determinationem actus, qui est ex obiecto. Quantum ergo ad exercitium actus, primo quidem manifestum est, quod voluntas movetur a seipsa; sicut enim movet alias potentias, ita et seipsam movet. Nec propter hoc sequitur, quod voluntas secundum idem sit in potentia et in actu. Sicut enim homo secundum intellectum in via inventionis movet seipsum ad scientiam, in quantum ex uno noto in actu venit in aliquod ignotum, quod erat solum in potentia notum; ita per hoc quod homo ali-

(1) 1 p. q. 82, a. 2 ad 2.

quid vult in actu, movere se ad volendum aliquid aliud in actu; sicut ex hoc quod vult sanitatem, movet se ad volendum sumere portionem » (1).

**Oppon. 2.<sup>o</sup>** Sicut principia in demonstrabilibus se habent ad conclusiones, ita fines in appetibilibus se habent ad ea, quae sunt ad finem. Atqui ex principis notis intellectus necessario determinatur ad conclusiones admittendas. Ergo voluntas ex necessaria appetitione finis determinatur ad appetenda necessario ea, quae sunt ad finem.

**Resp. Dist. mai.** Idest sicut intellectus a notitia principiorum movetur ad amplectendas conclusiones, ita voluntas ex appetitione finis movetur ad appetenda media, *Conc.* Idest eodem modo movetur intellectus, et voluntas, *Neg. Conc. min. et Neg. cons.*

**Explico.** Tametsi inter intellectum et voluntatem sit quaedam similitudo in exercendis propriis operationibus; nihilominus inter has duas facultates intercedit maxima differentia, exorta ex diversa utriusque natura et ex diverso utriusque objecto, ideoque in utraque modus se ferendi ad proprium obiectum est plane diversus. Conclusiones quippe ita connexae sunt cum principiis, ut, negata conclusione, ipsum principium evertatur, cum e contrario ea quae sunt ad finem non ita nectuntur cum fine, ut, aliquo remoto, perimatur finis; nam ad finem voluntatis, qui positus est in beatitudine, plures suppetunt viae sive quoad rei veritatem, sive quoad falsam hominum existimationem (2).

**Oppon. 3.<sup>o</sup>** Sicut apprehensum secundum sensum movet appetitum sensitivum, ita apprehensum secundum intellectum movet voluntatem. Iam vero appetitus sensitivus movetur necessario. Ergo etiam voluntas necessario movetur ab objecto.

**Resp. Dist. mai.** Appetitus sensitivus et rationalis in hoc conveniunt, quod moventur a proprio appetibili, *Conc.* Quod moventur eodem modo, *Neg. Conc. min. et Neg. cons.*

**Explico.** Haec difficultas similis est eius, quae proxime explicata est; confundit enim rationem quamdam genericam similitudinis cum ratione specifica. Eam sic dissolvit S. Thomas: « Vis sensitiva non est vis collativa diversorum, sicut ratio, sed simpliciter aliquid unum apprehendit; et ideo secundum illud unum determinate movet appetitum sensitivum. Sed ratio est collativa plurium, et ideo ex pluribus moveri potest appetitus intellectivus, scilicet voluntas, et non ex uno ex necessitate » (3).

**Oppon. 4.<sup>o</sup>** Voluntas humana non potest velle malum, cum sit appetitus boni. Atqui potentia appetitiva, quae, si vult, non potest velle malum, est determinata ad volendum bonum. Ergo voluntas quidquid vult, necessario vult.

(1) *QQ. DD. De malo*, q. 6, a. unico.

(2) *1 p. q. 82, a. 2 ad 3.*

(3) *Cf. S. THOM. QQ. DD. De ver. q. 22, a. 6; De malo, loc. cit. ad 6.*

**Resp. Dist. mai.** Voluntas non potest velle malum sub ratione mali, *Conc.* Sub ratione boni apparentis, *Neg. Dist. min.* Si non potest velle malum sub ratione mali, necessario fertur ad obiectum sub ratione boni, *Conc.* Si non potest velle malum neque sub ratione mali, neque sub ratione boni, necessario vult bonum, *Subdist.* Ita ut non possit eligere aliquid quod realiter sit malum, iterum *Conc.* Non possit eligere inter diversa bona, quae ducunt ad finem, *Neg.*

**Explico.** Solutio patet ex doctrina superius exposita. Nam libertas potest considerari vel in eo, qui non potest deficere a fine, et in ipso remanet libertas specificationis inter diversa bona particularia; vel consideratur libertas in eo, qui potest deficere a debito fine, et tunc licet si vult, non possit velle aliquid sub ratione mali, tamen potest velle malum sub ratione apparentis boni; et sic in eo habetur etiam indeterminatio voluntatis respectu ordinis ad finem, in quantum potest appetere id quod vere in finem debitum ordinatur, vel solum apparenter ducit ad beatitudinem (1).

**Oppon. 5.<sup>o</sup>** Malum opponitur bono, sicut tenebrae lumini. Atqui potentia visiva, quae a natura determinata est ad lucem, non potest moveri a tenebris. Ergo voluntas non potest velle malum.

**Resp. Dist. mai.** Malum opponitur bono, ut tenebrae opponuntur luci, ita tamen ut corpus possit omnino carere luce, et malum non possit carere omni bono, *Conc.* Ita ut quemadmodum possit dari corpus aliquod omnino tenebrosus, sic possit dari malum omnino carens omni bono, *Neg. Conc. min. et Neg. cons.*

**Explico.** Solutio patet ex ipsis terminis distinctionis. Difficultas enim non solum doctrinam a nobis propositam non frangit, sed illam magis corroborat et illustrat. Quod ut intelligatur, placet huc transferre verba S. Thomae libertatem sic vindicantis per illud idem simile ductum ab objecto visibili: « Voluntas movetur dupliciter: uno modo quantum ad exercitium actus; alio modo quantum ad specificationem actus, quae est ex objecto. Primo ergo modo voluntas a nullo objecto ex necessitate movetur. Potest enim aliquis de quocumque objecto non cogitare; et per consequens neque actu velle illud. Sed quantum ad secundum motionis modum, voluntas ab aliquo objecto ex necessitate movetur; ab aliquo autem non. In motu enim cuiuslibet potentiae a suo objecto, consideranda est ratio per quam obiectum movet potentiam. Visibile enim movet visum sub ratione coloris acti visibilis: unde si color proponatur visui, ex necessitate movet ipsum, nisi aliquis visum avertat, quod pertinet ad exercitium actus. Si autem proponeretur aliquid visui, quod non omnibus modis esset coloratum in actu; sed secundum aliquid esset tale, secundum autem aliquid non

(1) *Cf. S. THOM. QQ. DD. De ver. q. 22, a. 6 ad 4; De malo, q. 6, a. unico ad 10.*

tale, non ex necessitate visus tale obiectum videret; posset enim intendere in ipsum ex ea parte, qua non est coloratum in actu, et sic ipsum non videret. Sicut autem coloratum in actu est obiectum visus, ita bonum est obiectum voluntatis. Unde, si proponatur aliquod obiectum voluntati, quod sit universaliter bonum, et secundum omnem considerationem, ex necessitate voluntas in illud tendit, si aliquid velit; non enim poterit velle oppositum. Si autem proponatur ei aliquod obiectum, quod non secundum quamlibet considerationem sit bonum, non ex necessitate voluntas fertur in illud » (1).

**Oppon. 6.<sup>o</sup>** Eadem causa non potest producere diversos effectus; nam ex diversitate effectuum concludimus, causas esse diversas. Atqui velle vel nolle aliquod bonum sunt diversi effectus. Ergo voluntas, proposito bono, non potest eligere.

**Resp. Dist. mai.** Causa non potest producere diversos effectus, si unus effectus adequat totam virtutem causae, *Conc.* Si non adequat, *Neg. Contradist. min.* Velle vel nolle, velle hoc vel illud adaequant virtutem voluntatis, *Neg.* Superantur a potentia voluntatis, *Conc.*

**Explico.** Aequivocatio difficultatis facile intelligitur; si enim obiectio quidquam valeret, deducendum foret, Deum non potuisse diversas res arbitrari suae potentissimae voluntatis producere, quod est penitus abnorme. Cum enim aliqua causa virtute superat quemlibet particularem et proprium effectum, plane requirit ut possit ad plures et diversos effectus se extendere, ideoque ex diversitate effectus arguitur causae diversitas, si causa est determinata ad unum.

**Oppon. 7.<sup>o</sup>** Voluntaria creata agit ut instrumentum, quia est causa secunda, quae movetur a Deo. Atqui libertas non potest attribui instrumento, sed attribuitur causae moventi instrumentum. Ergo humana voluntas non est libera.

**Resp. Dist. mai.** Voluntaria agit ut instrumentum proprie dictum, *Neg.* Communiter dictum, *Conc. Contradist. min.* Libertas non potest attribui instrumento proprie dicto, *Conc.* Communiter dicto, *Neg.*

**Explico.** Instrumentum potest sumi dupliciter, vel sensu proprio et presso; vel sensu latiori et magis communi. Instrumentum sensu stricto ita movetur a causa principali, ut ab ea non recipiat aliquam formam, quae sit eius natura; et ideo actio, quae resultat, non assimilatur instrumento, sed causae principali. Sic scalpellum movetur ab artifice, quin recipiat ab eo aliquod intrinsecum principium sui motus. Sensu autem communi et latiori instrumentum ita movetur a causa superiori, ut ab ea recipiat aliquam formam intrinsecam, per quam instrumentum habet principium intrinsecum sui motus. Sic creaturae agunt motae a Deo, et earum operatio assimilatur causae instrumentali. Deus autem omnes creaturas ita movet, ut omnes crea-

(1) 1-2, q. 10, a. 2.

turae operentur secundum proprias naturas. Quare si creatura ita movetur a Deo ut principium intrinsecum a Deo receptum, quod constituit naturam creaturae, sit huiusmodi ut creaturam efficiat dominam sui actus, ut contingit in agentibus liberis, motio divina non solum non imponit necessitatem, id est non determinat creaturam ad unum, sed etiam est causa, cur creatura determinet seipsam (1).

**Oppon. 8.<sup>o</sup>** Voluntaria est in potentia ad appetenda bona particularia. Atqui si est in potentia relate ad huiusmodi bona, non movet seipsam, sed ab alio movetur ad ea appetenda. Ergo non potest ita aliquid velle, ut eius appetitio sit in sua potestate.

**Resp. Dist. mai.** Voluntaria circa bona particularia est in mera potentia, *Neg.* Est partim in actu, et partim in potentia, *Conc. Contradist. min.* et *Neg. cons.*

**Explico.** S. Thomas eandem difficultatem crebro sibi obiicit, eamque solvit per hoc, quod appetitus rationalis consequens cognitionem intellectivam, quae apprehendit ipsam rationem boni universalis, relate ad appetitionem particularium bonorum sit partim in actu, et partim in potentia, et secundum quod est in actu moveat seipsam secundum quod est in potentia. Siquidem cum voluntas sit in actu appetitionis boni universalis, quod eius capacitatem explet et superat, et simul sit in potentia ad appetendum particulare aliquod bonum, quod non complet capacitatem ipsius, ad huiusmodi bona voluntas et movet seipsam, et ita movet, ut sit domina sui actus, nempe ut eius motus remaneat contingens, ipsique integrum sit velle vel non velle, velle potius hoc, quam illud. En quomodo Angelicus Doctor rem acu tangit: « Idem secundum idem non movet seipsum; sed secundum aliud potest seipsum movere: sic enim intellectus, in quantum intelligit actu principia, reducit seipsum de potentia in actum quantum ad conclusiones: et voluntas in quantum vult finem, reducit se in actum quantum ad ea quae sunt ad finem » (2). Quare effatum illud: *Quidquid movetur, ab alio movetur* verissimum est, si rite intelligatur; secus est falsum, et liberum hominis arbitrium funditus subvertit; nam moveri potest sumi vel in sensu mere passivo, et tunc nequit consistere cum libertate; vel in sensu mere activo, et tunc est proprium Dei, qui est merus actus, ideoque non progreditur realiter de potentia in actum; vel in sensu partim activo partim passivo, et tunc est proprium voluntatis humanae, quae realiter transit de potentia in actum; sed cum sit in actu relate ad appetitionem finis, secundum hoc movet seipsam ad electionem mediorum, et sic distinguitur utrinque tum ab agentibus determinatis ad unum, tum a Deo primo agente prorsus immobili (3).

(1) Cf. S. THOM. QQ. DD. De ver. q. 24, a. 1 ad 5.

(2) QQ. DD. De malo, q. 6, a. unico ad 20.

(3) Cf. S. THOM. QQ. DD. De ver. q. 22, a. 4.

**Oppon. 9.<sup>o</sup>** Divina praesentia est prorsus infallibilis, ideoque praevisa a Deo, necessario contingunt. Atqui appetitiones voluntatis humanae praevisae sunt a Deo. Ergo non contingunt libere.

**Resp. Dist. mai.** Quae a Deo praevidentur necessario contingunt, necessitate hypotetica, *Conc.* Necessitate absoluta, *Neg. Conc. min.*

**Explico.** Cum praesentia divina sit infallibilis et perfectissima, a tota aeternitate videt omnes res, prout sunt in sua natura, ideoque si sunt effectus necessarii, idest necessario progredientes a suis causis proximis, hos effectus videt ut necessarios; sin e contrario sunt actus liberi, illos videt ut liberos. Quare, posita divina praesentia, appetitiones illae, quae sunt contingentes et liberae in sua natura, eodem modo remanent, ac si divina praesentia per absurdum non addeset, cum praesentia Dei non mutet naturas rerum. Solummodo habebitur necessitas conditionata, quae libertatem non tollit, sed supponit; idest si aliquid esse, non potest non esse, uti si Socrates facit, non potest deambulare.

**Oppon. 10.<sup>o</sup>** Ante electionem voluntatis debet praecedere iudicium intellectus de bono convenienti. Atqui iudicium intellectus est necessarium. Ergo omnis electio voluntatis est necessaria.

**Resp. Dist. mai.** Debet praecedere iudicium intellectus practicum, *Conc.* Iudicium speculativum, *Neg. Contradist. min.* Iudicium speculativum et in evidentibus est necessarium, *Conc.* Iudicium practicum est necessarium, *Neg. et Neg. cons.*

**Explico.** Humana libertas solet dici etiam liberum arbitrium, praecise per hoc, quia ad eligendum requiritur iudicium intellectus, quod debet esse liberum, nam liberum arbitrium nihil aliud est nisi liberum iudicium, uti discrete notat S. Thomas, inquam: « Arbitrium enim liberum nihil est aliud, quam liberum iudicium » (1). Quocirca idem Aquinas ad demonstrandum, hominem polleere libero arbitrio, in hunc modum argumentatur: « Homo agit iudicio, quia per vim cognoscitivam iudicat, aliquid esse fugiendum vel prosequendum. Sed quia iudicium istud non est ex naturali instinctu in particulari operabili, sed ex collatione quadam rationis, ideo agit libero iudicio, potens in diversa ferri (2). Cum autem in praesenti difficultate tangatur quaestio de natura electionis, et de iudicio practico ad illam requisito, quae quaestio praestantissimorum philosophorum ingenia exercuit, plena et evidens huius objectionis explicatio haberi nequit, antequam de electione a nobis disputatum sit, quod praestabimus in sequenti articulo (3).

(1) I p. q. 83, a. 2.

(2) I p. q. 83, a. 1.

(3) Pro alijs difficultatibus cf. S. THOM. QQ. DD. De malo, q. 6, a. unico, praesertim ad 7, 11, 12, 15, 16.

## ARTICULUS IV.

## DE NATURA ELECTIONIS EIUSQUE CAUSIS (I).

**CONTINUATIO ET SERIES RERUM.** Licet liberum arbitrium iuxta vocabuli significationem denominet quendam actum, cum liberum arbitrium idem sit ac liberum iudicium; nihilominus ex communi usu loquendi liberum arbitrium adhibetur ad significandum principium huius actus, quo homo libere iudicat, qui actus dici solet *electio*, ideoque liberum arbitrium nihil aliud est, nisi facultas seu potentia eligendi, nempe voluntas prout libere eligit. Siquidem inter facultates appetitivas et apprehensivas proportio quadam vel similis ratio intercedit. Sicut autem ex parte apprehensionis intellectivae se habent intellectus et ratio, quae non sunt duae potentiae, sed una ex duobus actibus dupliciter denominata; ita ex parte appetitus intellectivi se habent voluntas et liberum arbitrium, quod est vis electiva.

Nam intelligere importat simplicem apprehensionem rei seu intelligibilis veritatis; unde intelligi dicuntur proprie principia, quae sine collatione per seipsa cognoscuntur. Ratiocinari autem proprie est devenire ex uno in cognitionem alterius; unde proprie ratiocinamur de conclusionibus, quae ex principiis innescunt. Similiter ex parte appetitus, velle importat simplicem appetitum alicuius rei; unde voluntas dicitur esse de fine, qui propter se appetitur. Eligere autem est appetere aliquid propter alterum consequendum; unde proprie est eorum quae sunt ad finem. Quare voluntas se habet ad liberum arbitrium seu ad vim electivam, sicut intellectus se habet ad rationem; nam in appetitivis finis se habet ad ea quae sunt ad finem, quae propter finem appetuntur, sicut in cognitivis principia se habent ad conclusionem, cui propter principia assentimus. Sicut ergo impossibilis est discursus seu motus rationis, nisi praecedat aliquid immobile, nempe principium indemonstrabile et simpliciter apprehensum; sic impossibilis est motus appetitus intellectivi seu electio eorum, quae sunt ad finem, nisi praecedat simplex appetitio seu voluntas finis, qui per se appetitur, cum omnis motus ab immobili incipiat necesse est.

**Quid electio?** Actus liberi arbitrii, qui vocatur electio, definiti solet: *Praeceptio unius respectu alterius*: « Ex hoc enim, ait Aquinas, liberi arbitrii esse dicimus, quod possumus unum recipere, alio recusato, quod est eligere; et ideo naturam liberi arbitrii ex electione

(1) De hac re cf. S. THOM. I p. q. 83; 1-2, q. 13; QQ. DD. De ver. q. 22, a. 15, et q. 24, a. 1, 2.

considerare oportet » (1). De ratione ergo electionis est, ut dicat ordinem ad plura, inter quae unum accipitur prae alio; ideoque electio locum habere nequit, ubi est determinatio ad unum; cum eligere, et esse determinatum ad unum ex opposito dicantur (2). Hinc circa finem, qui absolute habet rationem extremi, non datur electio seu optio, sed habetur determinatio ad unum appetitivae virtutis. Verum enim si finis non habet absolute rationem extremi, sed secundum quid, nempe si est finis intermedius ordinabilis ad ulteriorem finem, tunc talis finis induit rationem medii, et circa ipsum dari potest electio. Quemadmodum si aliqua veritas assumitur ut principium in determinata quadam scientia, circa ipsam non datur discursus rationis in illa scientia; sed si eadem veritas est conclusio scientiae cuiusdam superioris, circa ipsam habebitur ratiocinatio in scientia superiori.

Ad electionem necessario concurrunt actus rationis. Cum electio sit acceptio unius prae alio, propterea quod unum iudicatur alteri praeferendum, perspicuum est, ad completam electionem habendam requiruntur rationem tum voluntatem. Ratio quippe mediante consilio iudicat, quid praeferendum sit, nempe quid sit magis accommodatum ad finem; voluntas vero acceptat illud, quod per consilium rationis iudicatum est. Quocirca electio neque consistit in solo iudicio, neque in solo appetitu, sed in composito ex utroque. Non in solo iudicio rationis practicae, quia sine acceptance voluntatis nequit concipi electio; neque in sola acceptance, quia sine iudicio rationis voluntas ferretur caeco modo in suum obiectum, et consequenter non eligeret; nam ad electionem requiritur comparatio et collatio, quae est opus rationis. Ergo expleta et absoluta ratio electionis complectitur consilium seu inquisitionem rationis practicae conferentis unum alteri, conclusionem consilii seu syllogismi, quae fit in operabilibus, idest sententiam vel iudicium rationis, et demum acceptance voluntatis.

Electio complete vel incomplete sumpta. Cum electio sit aliquid compositum ex iudicio rationis et ex acceptance voluntatis, exinde est quod electio sumi potest vel complete vel incomplete, idest vel secundum totum vel secundum partem. Si sumitur incomplete et secundum partem, tunc significat dumtaxat acceptance voluntatis, quae immediate consequitur ultimum iudicium practicum. Si accipitur complete, nempe secundum totum, tunc denominat et ultimum iudicium et acceptance voluntatis. Simili modo iudicium hoc sumi potest vel pro simplici sententia rationis, et tunc est pars electionis, vel pro integra determinatione consilii de re faciendae, et sic complectitur sententiam rationis et acceptance voluntatis, nempe completam electionem.

(1) I p. q. 83, a. 3.

(2) Cf. S. THOM. 1-2, q. 13, a. 2.

**Nexus inter iudicium et acceptance voluntatis.** Ultimum iudicium practicum de bono convenienti separari nequit ab acceptance voluntatis, uti patet ex ipsa ratione iudicii ultimi. Siquidem si post ultimum illud iudicium voluntas non acceptaret, tunc alterum de duobus affirmandum foret; aut nempe voluntatem egere alio iudicio et consilio ad volendum; aut voluntatem posse seipsam determinare sine praevio iudicio. Si primum dicitur, iudicium illud non erit ultimum contra suppositionem, nam loquimur de ultimo iudicio practico. Si secundum, voluntas ageret contra propriam naturam, cum sit appetitus boni cogniti, ideoque non potest se determinare ad aliquid faciendum vel omittendum, quin prius cognoscat, illud esse conveniens vel secus. Quare sicut non potest tendere ad bonum in genere, nisi in genere cognoscat, illud esse bonum, nempe conveniens; sic non potest expetere hoc vel illud bonum in particulari, quin prius iudicet, hoc vel illud in particulari esse sibi conveniens, nempe bonum. Quae cum ita sint, perspicuum est, electionem esse semper factam post determinationem ultimi iudicii, quia iudicium hoc separari nequit ab acceptance voluntatis. Huic doctrinae concinens S. Thomas, ait: « Iudicium de hoc particulari operabili, ut nunc, nunquam potest esse contrarium appetitui » (1).

**Questio agitata.** Cum electio sit actus illius facultatis, quae dicitur liberum arbitrium, cumque ad eam efficiendam requiratur tum iudicium rationis tum acceptio voluntatis, iure ambigitur, an electio proprie dicenda sit actio voluntatis vel rationis, ideoque an liberum arbitrium sit potentia appetitiva vel apprehensiva. Huic problemati satisfaciemus sequenti propositione.

## PROPOSITIO.

*Electio est substantialiter actus voluntatis, non rationis; ideoque liberum arbitrium est facultas appetitiva animae rationalis, in qua proprie residet libertas.*

**Prob. prop.** Proprium obiectum electionis est illud, quod est ad finem, et quod habet rationem boni utilis. Atqui bonum, in quantum huiusmodi, est obiectum operationis appetitivae. Ergo electio proprie et principaliter est actus facultatis appetitivae (2).

**Evol. arg.** Licet ad electionem habendam concurrere debet, uti vidimus, tum aliquid ex parte intellectus, tum aliquid ex parte voluntatis; ideoque, ut ait Nemesius, « electio neque est appetitus secundum seipsam, neque consilium solum, sed ex his aliquid compo-

(1) QQ. DD. De ver. q. 24, a. 2.

(2) Cf. S. THOM. I p. q. 83, a. 3.



situm» (1); nihilominus cum electio perficiatur in motu quodam animae ad bonum quod eligitur, consequenter ipsa substantialiter est actus voluntatis, non rationis. Quod ut intelligatur, considerandum est cum Aquinate nostro, quod in actibus animae, actus qui est essentialiter unius potentiae vel habitus, recipit speciem a superiori potentia vel habitu, secundum quod inferius ordinatur a superiori. Si enim aliquis ob Dei amorem exercet actum fortitudinis, actus ille substantialiter et quadantenus materialiter est fortitudinis, formaliter vero est caritatis. Manifestum est autem, quod ratio quodammodo voluntatem praecedat, et ordinat actum eius, quatenus voluntas tendit in suum obiectum secundum ordinem rationis, eo quod vis apprehensiva appetitivae suum obiectum repraesentat. Hinc ille actus, quo voluntas tendit in aliquid, quod proponitur ut bonum, ex eo quod per rationem est ordinatum ad finem, substantialiter et materialiter est voluntatis, formaliter autem est rationis, quia substantia actus qui efficitur a voluntate materialiter se habet ad ordinem, qui imponitur a superiori potentia, nempe a ratione; et ideo substantialiter electio est actus voluntatis, qui recipit ordinem a ratione (2).

#### SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

**Oppon. 1.<sup>o</sup>** Electio importat quamdam collationem, qua unum alteri praefertur. Atqui comparatio pertinet ad rationem. Ergo.

**Resp. Dist. mai.** Electio importat collationem, quatenus praesupponit aliquam collationem, *Conc.* Quatenus substantia actus electionis est ipsa collatio, *Neg. Conc. min. et Neg. cons.* Solutio patet ex his, quae diximus in probatione propositionis (3).

**Oppon. 2.<sup>o</sup>** Electio dicitur quasi conclusio in operabilibus. Atqui concludere in operabilibus est proprium rationis, ad quam spectat ratiocinari. Ergo electio est actus rationis.

**Resp. Dist. mai.** Electio dicitur conclusio in operabilibus, quia sequitur conclusionem rationis practicae, *Conc.* Quia actus electionis constituit conclusionem, *Neg. Conc. min. et Neg. cons.* Siquidem, ut docet Angelicus: « Conclusio syllogismi, quae fit in operabilibus, ad rationem pertinet, et dicitur sententia vel iudicium, quam sequitur electio; et ob hoc ipsa conclusio pertinere videtur ad electionem, tamquam ad consequens » (4).

**Oppon. 3.<sup>o</sup>** Datur ignorantia electionis (*Elhic. lib. III, cap. D*). Atqui si datur ignorantia huiusmodi, electio est actus virtutis cognoscitivae. Ergo electio non pertinet ad vim appetitivam.

(1) *De natura homini*, cap. XXXIII prope finem.

(2) Cf. S. THOM. 1-2, q. 13, a. 1.

(3) Cf. S. THOM. 1 p. q. 83, a. 3 ad 3.

(4) 1-2, q. 13, a. 1 ad 2.

**Resp. Dist. mai.** Datur ignorantia electionis, quia ignoratur a ratione quid sit eligendum per liberum arbitrium, *Conc.* Quia ipsa electio sit scientia, *Neg. Contradist. min. et Neg. cons.*

**Explico.** Cum homo per voluntatem inclinat iudicium practicum de particulari appetibili ad iudicandum, hic et nunc esse sibi conveniens id quod a ratione speculativa iudicatur ut malum, iudicium illud practicum, dicitur iudicium ignorantiae, quia per ipsum non cognoscimus, idest ignoramus, quid secundum rem et veritatem sit nobis bonum. Cum autem hoc iudicium dependeat a voluntate, et praerquiratur ad electionem, idest ad actum liberi arbitrii praeaccipientis unum respectu alterius; ignorantia, quae proprie spectat ad actum rationis, attribuitur electioni, quae est actus potentiae appetitivae, quia voluntas libere determinavit rationem ad profendum iudicium ignorantiae, per quod nempe verum bonum minime cognoscitur. Sic intelligitur sensus plane verus illius effati: *Omnis peccans est ignorans*, quia qui peccat libere et falso iudicat, esse verum bonum, quod de facto est solummodo bonum apprensus et falsum, ideoque ignorat id quod vere sibi conveniens est.

**Oppon. 4.<sup>o</sup>** Liberum arbitrium dicitur quasi liberum iudicium. Atqui electio est actus liberi arbitrii. Ergo electio est operatio virtutis cognoscitivae, cuius est iudicare.

**Resp. Dist. mai.** Dicitur liberum iudicium, quia eius actus praesupponit iudicium seu sententiam rationis, *Conc.* Quia eius actus est proprie iudicium, *Neg. Conc. min. et Neg. cons.* Huic difficultati ita occurrit S. Thomas: « Iudicium est quasi conclusio et determinatio consilii. Determinatur autem consilium primo quidem per sententiam rationis, et secundo per acceptance[m] appetitus... Et hoc modo ipsa electio dicitur quoddam iudicium, a quo nominatur liberum arbitrium » (1).

**Oppon. 5.<sup>o</sup>** contra necessitatem iudicii praevii. In rebus contingentibus non potest dari iudicium determinatum. Atqui electio est de rebus contingentibus, nempe de iis quae contingenter se habent ad finem. Ergo electio non sequitur determinationem iudicii.

**Resp. Dist. mai.** In rebus contingentibus non datur iudicium naturaliter et necessario determinatum, *Conc.* Non datur iudicium libere determinatum ab ipsa voluntate, *Neg. Conc. min. et Neg. cons.* Uti patet, difficultas probat praecise id quod a nobis dictum est de libero arbitrio, qui viget in homine. Siquidem circa bona finita et contingentia non potest dari iudicium necessario determinatum, ideoque integrum est voluntati iudicium inclinare ad alterutram partem, et sic iudicium erit liberum, nempe liberum arbitrium.

(1) 1 p. q. 83, a. 3 ad 2.

**Oppon. 6.<sup>o</sup>** Saepe homo, spreto omni iudicio rationis, arbitrato suo operatur, ut ostendat, se esse liberum. Atqui si ita habet, ad electionem non requiritur praeivium iudicium rationis. Ergo.

**Resp. Dist. mai.** Et in hoc casu homo iudicat, esse sibi conveniens, nempe bonum, agere contra omnem rationem, *Conc.* Agit sine ullo iudicio praecedente, *Neg. Contradist. min. et Neg. cons.*

**Explico.** Solutio satis intelligitur ex ipsis terminis distinctionis. Siquidem quando aliquis vel spreto omni iudicio aliquid eligit ad ostendendum, se pollere libero arbitrio; vel etiam, relicto bono meliori, eligit aliquid, quod sit deterius, iuxta illud: *video meliora proboque, deteriora sequor*; id non ex eo oritur, quod homo revera eligit sine iudicio practico de particulari appetibili; sed potius ex eo quod perperam iudicat, hic et nunc esse sibi magis conveniens, contemnere omne iudicium, vel aliquid amplecti contra dictamen rationis. Cum autem hoc iudicium liberum sit, homo libere eligit, et operatur contra rationem, sed non sine ratione; nam volens et lubens iudicat, nunc esse sibi magis conveniens, nempe magis bonum, et eligit id quod, per se et absolute consideratum, est deterius et minus conveniens. Quare necessarium prorsus est voluntati, ut sequatur iudicium rationis, cum sit appetitus boni cogniti; verum cum defectibilis sit, potest libere inclinare rationem ad pravam iudicium, illudque sequi.

**Oppon. 7.<sup>o</sup>** Si in electione requireretur iudicium, qui peccat, iudicaret, peccatum saltem in illo casu esse sibi conveniens. Atqui huiusmodi iudicium esse contra fidem, quae docet, peccatum nunquam esse conveniens homini. Ergo, nisi dicere velimus, omne peccatum esse contra fidem, concedendum est, ad electionem non requiri praecedens iudicium de particulari appetibili.

**Resp. Dist. mai.** Iudicaret, peccatum esse sibi conveniens, directe et per se *Neg.* Indirecte et per accidens, *Conc. Contradist. min.*

**Explico.** Qui peccat, directe et per se illud iudicat, quod directe et per se appetit et eligit. Sic qui furatur, non appetit iniustitiam et malitiam furti, sed bonum rei furtivae, quocum coniuuncta est malitia peccati contra iustitiam. Quare directe et per se non iudicat peccandum esse, sed illud bonum esse possidendum. Ad peccatum vero infidelitatis incurrendum, necesse est, directe et per se aliquem fidei articulum negare, quia ad huiusmodi peccatum non sufficit oppositio quaedam practica et remota documentis fidei, sed requiritur oppositio speculativa, directa, et proxima. Iam vero in eo, qui peccat, saepe iudicium speculativum et universale est positive diversum a iudicio practico de particulari operabili, cum illud sit omnino rectum, hoc a contrario sit pravam. Quod ita scite notatum fuit a S. Thoma: « Et quod quandoque appetitus videatur cognitionem non sequi, hoc ideo est, quia non circa idem accipitur appetitus et cognitionis iudicium; est enim appetitus de particulari operabili, iudicium vero rationis quan-

doque est de aliquo universali, quod est quandoque contrarium appetitui; sed iudicium de hoc particulari operabili nunquam potest esse contrarium appetitui » (1).

**Oppon. 8.<sup>o</sup>** Si datur praeivium iudicium rationis, voluntas non potest eligere nisi id, quod ratio praefert. Atqui ratio non potest praeferre nisi id quod ipsi apparet ut maius bonum, cum sit facultas necessaria. Ergo, posito iudicio rationis, electio non est libera.

**Resp. Dist. mai.** Voluntas non potest eligere, nisi quod praefert ratio speculativa, *Neg.* Nisi quod praefert ratio practica, cuius iudicium libere inclinatur ab ipsa voluntate, *Conc.*

**Explico.** In hac difficultate, et in aliis huius similibus, confunditur iudicium speculativum rationis cum iudicio practico de aliquo particulari operabili: quare eadem pro omnibus adhibenda est distinctio. Sic solvitur difficultas ex eo petita, quod voluntas non potest amplecti minus bonum prae potiori, neque seligere inter duo bona aequalia, quia eligeret sine ratione sufficienti. Voluntas quippe, proposito quolibet eligibili vel aequali vel eminentiori, potest movere rationem ad considerandum in altero aliquid aliud quod praestat, et sic illud eligere. Audiatur S. Thomas: « Nihil prohibet, si aliqua duo aequalia proponantur secundum unam considerationem, quin circa alterum consideretur aliqua conditio per quam emineat, et magis flectatur voluntas in ipsum quam in aliud » (2).

**SCHOLION.** De ultimo iudicio practico. In explicanda natura et causis liberae appetitionis seu electionis in homine docuimus, ad electionem libere habendam necessarium esse ultimum iudicium practicum de particulari appetibili, et hoc iudicium esse liberum, nempe determinatum a voluntate, quae formaliter dicitur libera. Haec duo, uti vidimus, omnino admittenda sunt ad scientificam liberi arbitrii sui liberae electionis explicationem exhibendam. Si enim ultimum iudicium practicum abesset, vis appetitiva ferretur in ignotum; quod si iudicium illud non esset liberum, idest dependens et determinatum a voluntate, tunc actum esset de libertate humana; quia voluntas esset determinata ad unum; cum ex una parte deberet sequi iudicium, ex alia vero iudicium esset intrinsecum et natura sua determinatum.

Verum enim ex exposita doctrina oritur magni momenti difficultas, quae difficiles admodum habet explicatas. Siquidem si ad eligendum requiritur ultimum iudicium practicum a voluntate libere determinatum, tunc aut voluntas rationem ad ita iudicandum determinavit sine priori alio iudicio, aut supposito alio praecedenti iudicio. Si praeivium

(1) *QQ. DD. De ver. q. 24, a. 2.*

(2) 1-2; q. 13, a. 6 ad 3. Pro aliis difficultatibus cf. S. THOM. *QQ. DD. De ver. q. 24, a. 1; De malo, q. 6.*

aliud iudicium libere determinatum adstruitur, tunc pro ipso eadem instaurabitur quaestio, et habebitur processus in infinitum. Si haec determinatio iudicii fit a voluntate sine praevio alio iudicio, tunc voluntas potest ad aliquid se determinare sine iudicio practico, ideoque iudicium practicum non est necessarium ad liberam electionem.

Ut huic difficultati fiat satis, respondemus, voluntatem minime egere alio iudicio praecedenti ad hoc ut libere inclinet rationem ad libere iudicandum de aliquo particulari operabili, quod sit hic et nunc nobis conveniens. Ex hoc autem nullo pacto potest legitime inferri, voluntatem posse se determinare ad aliquid operabile eligendum sine praevio iudicio. Nam cum electio sit praeeceptio unius respectu alterius eo quod unum libere iudicatur magis conveniens operanti, nempe medium melius dicens ad finem, seu ad beatitudinem; evidenter electio perfici non potest sine libero iudicio. Hoc est ita verum et iuxta sensum communem hominum, ut praecise ex hoc libero iudicio inditum sit facultati elicenti electionem nomen liberi arbitrii a facultate superiore, nempe a ratione, quae formam tribuit illi actui, qui substantiatiter pertinet ad virtutem appetitivam.

Verum si electio compleri non potest sine libero iudicio, exinde non licet inferre, ipsam non posse incipi sine praevio quodam iudicio; nam haec argumenti conclusio non est recta et legitima: Aliqua operatio non potest compleri sine quadam conditione. Ergo sine illa conditione non potest incipi. Ratum quippe est et perspicuum, ad electionem complendam requiri iudicium, ut voluntas libere tendat ad bonum cognitum iuxta naturam facultatis appetitivae; et simul certum est, ad inclinandum et flectendum iudicium non requiri praecedens iudicium, ne fiat processus in infinitum, et reddatur impossibilis electio.



## TRACTATUS SECUNDUS.

DE IPSA ANIMA HUMANA ET DE EIUS UNIONE  
CUM CORPORE

## QAESTIO I.

*De animae humanae essentia et perfectionibus.*

**ADUMBRATUR QAESTIO.** Naturam animae perscrutanti nobilissima sane et ad agnitionem pulcherrima occurrit quaestio, quae tamen, uti Philosophus docet, difficiles admodum habet explicatus (1). Anima quippe spectari potest tum generatim, nempe prout est principium quo omne corpus vivens discriminatur a non vivente et inanimato, tum speciatim, prout nempe denotat principium seu formalem rationem per quam animata praedita ratione distinguuntur sive ab animatis irrationalibus, sive a corporibus inanimatis. In hoc strictiori sensu quaestio terminatur et definitur ad animam humanam, nimirum ad principium illud formale, quo homo totius naturae visibilis princeps et imperator in se constituitur, et a cunctis aliis naturis tum viventibus tum inanimis secernitur, ac dividitur. In hac parte philosophiae naturalis in qua de homine quaestionem agitamus, directe et proprie de anima humana agendum nobis est. Nihilominus, ut ordine ac via in re tanti momenti procedamus, ipsa res postulare videtur, ut quaedam retractemus, quae a nobis disputata sunt de principio vitali, seu de anima communiter spectata; et sic, enodato conceptu generico animae, facilius erit via ad investigandam essentiam sive naturam animae humanae, et ad eius perfectiones et proprietates patefaciendas. Quamobrem totam controversiam in varios articulos tribuemus, et primo quidem, proposita definitione vulgari vel quasi nominali animae, ad trutinam revocabimus diversa tum veterum tum recentium philosophorum placita, erroresque eorumdem perverse naturam animae explicantium. Deinde cum a nobis vera et generica definitio animae tradita sit in tractatu de viventibus animatis (2),

(1) *De anima*, lib. I, cap. I et II.(2) Cf. quae diximus, *Cosm.* tract. II, q. 2, a. 6, pag. 201.